

libet vice contrafacta, et quod quelibet persona que portaret aliquam mercandariam extra civitatem Tergesti teneatur denunciare dicto tali offitiali et facere ab eo scribi dictam mercandariam, sub pena decem libr. par. pro qualibet persona et
5 vice qualibet contrafacta.

Cap. XLVIII. Rubrica de officiali eligendo super blado quod mittitur ad molendinum.
R.ca. //

79 A

10 **S**tatuimus quod iudices sive rectores comunis Tergesti in introitu sui regiminis eligere debeant unum hominem, qui sciat litteras, et ipsum deputare ad ponderandum bladum quod mittitur extra civitatem Tergesti ad molendina, sub pena decem libr. par. pro quolibet iudice sive rectore. ¶ Qui offitialis
15 stare debeat in dicto offitio per quatuor menses, et ¹⁾ habere debeat de camera comunis octo libr. par. pro suo salario, et ille qui fuerit quatuor mensibus in dicto offitio, aliis quatuor subsequentibus mensibus esse non possit in dicto offitio. ¶ Qui offitialis stare debeat in platea comunis et habere stateram a comuni et candellarium, cum qua stateria ponderare debeat
20 quodlibet bladum quod mittitur extra civitatem Tergesti tam per mare quam per terram ad molendinum, et scribere in uno quaterno pondus cuiuslibet saume et nomen persone portantis vel mittentis dictum bladum et diem qua ponderatur, sub pena decem sold. par. pro quolibet stario, antequam mittatur extra
25 civitatem Tergesti, si per personam portantem fuerit requisitus, et habere debeat pro qualibet sauma per ipsum ponderata duos par. ¶ Et si persona portans nollet tale bladum ponderare, tunc ipsum ponderare non debeat, set scribere in dicto quaterno quantitatem ipsius bladi non ponderati, ad hoc
30 ut sciatur si dictum bladum revertatur in civitatem Tergesti, sub dicta pena, pro qua scriptura nullum precium recipere debeat. ¶ Et quod nulla persona civis vel habitatrix Tergesti portare vel mittere debeat, seu portari vel mitti facere,

¹⁾ *et - mensibus* aggiunta marginale.